



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

59. An peccent subditi sine causa non recipientes legem à Principe legitime promulgatam? Ex part. 1. tr. 10. res. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

6. Et circa presentem questionem ne deseras vide re Rocafull. in praxi Theol. Mor. tom. 1. lib. 6. sect. 1. de lege humana in communi. cap. 6. per totum, vbi circa alia dicit, quod verbum, *Præcipimus* inducit obligationem: sed statim postea, c. 8. adhæret contrariæ sententiæ *Caieriani*; quia verbum *præcipio* commune est omni materiæ; & in lege diuina, & in naturali vtitur, cum tamen non omnia præcepta legis diuinæ vel naturalis obligent sub mortali. Et confirmatur; quia D. Augustinus in sua regula in fine dicit: Hæc sunt quæ præcipimus, vt obseruetis in monasterio constituti, & tamen non omnia præcepta illius regule obligant sub mortali. Vide etiam Ariagam disp. 21. sect. 3. n. 19. & Magistrum Serram in part. 2. D. Thomæ. q. 96. art. 4. dub. 2. §. Denique ex verbis.

Sup. hoc verbo Præcipimus, & sup. verbis Volumus, ordinamus, &c. postea in fin. §. præteriti huius Ref. in tom. 3. tr. 6. Ref. §. 6. Confirmatur & in tom. 2. tr. 1. Ref. §. 4. §. 1. in fin. & in Refol. 172. §. Sed aliquis post med. a vers. Eas. §. lege sup. §. huius Refol. prope fin. & Ref. eius annot.

Et pro contra in principio huius §. Ne infra in Ref. 75. &c. Et pro sequ. in hoc §. a med. eius & vers. Tales sunt infra in Ref. 75. §. vt. in princ.

7. Non desinam tamen hæc notare ea quæ docet *Præpositus* in p. 2. D. Thomæ. q. 95. disp. 3. dub. 4. num. 28. nempe quod multæ leges ciuiles videntur esse tales, in quibus neque ex verbis præceptiuis colligitur legislatorum voluisse obligare in conscientia, neque ex grauitate materiæ, quæ pertinet ad cohibenda vitia, & ad cuitandum magnum incommodum, si, inquam, ex his indicibus non colligatur Legislatorem obligare in conscientia, præsumi potest legem esse merè penalem. Tales sunt multæ, quæ apponunt penam dupli, confiscationem rei, vel similem pecuniariam, vel corporalem non ita grauem, vt lex ne merces extra Regnum, vel pecuniæ effertantur, ne ligna in sylua communi scindantur, ne ab aliis quàm à certis mercatoribus merces comparentur, ne vinum in loco priuilegiato ematur ab iis, qui non habent priuilegium, ne quis venetur in tali loco, ne pisceetur in flumine communi, & ita de multis aliis, quæ prudens iudicabit. Probatur: Sufficit Principi si transgressores soluant multam, & prudentum iudicio tales leges non recipiuntur sub alia obligatione. Ita *Præpositus*.

RESOL. LIX.

An peccata subditi sine causa non recipientes legem à Principe legitime promulgatam? Ex p. 1. tr. 10. Ref. 2.

Quæ hæc est sup. Ref. 55. & sup. difficulti huius Ref. infra in Ref. seq.

§. 1. Respondent affirmatiuè, tam Doctores primæ, quam secundæ sententiæ in superiori Refol. adducti. Non reticebo tamen, quodd secundum Martinum Bonacinam *tr. de legib. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 39.* in hac re videtur distinguendum: vel enim Legislator intendit obligare independenter ab acceptatione populi, vel dependenter: si independenter ab acceptatione intendit obligare, censco, subditos peccare non acceptando; quia faciunt contra Superioris voluntatem obligantis ad legem acceptandam: si verò intendit obligare dependenter ab acceptatione, non videntur peccare; quia nondum purificata est conditio, sub qua Legislator intendit obligare. Ita Bonacina.

2. Gregorius verò de Valentia *to. 2. disp. 7. q. 5. punct. 5.* & alij putant, legem latam à Principe independenter ab acceptatione populi, & cum obligatione illum obligandi, non esse validam; quia huiusmodi lex magnam excitare posset in populo perturbationem: & idè consequenter non esset iusta, nec lata propter bonum commune. Et hanc sententiam probabilem putat Bonacina *vbi supra. n. 29.* nam contrariam, quam ipse cum multis aliis tenet, vocat tantum probabiliorem.

3. Sed, quidquid sit de hoc, respondendo ad propositam questionem, videtur, si contrarium ex coniecturis sufficienter non constaret, Principes semper promulgare leges dependenter ab acceptatione subditorum, neque illos intendere obligare; & idè, cum, qui absque sufficienti causa legem non acceptat, aliquam culpam non incurtere, nisi graue incommodum Reipublicæ inde proueniat. Et ratio est: quia acceptatio est conditio requisita ad legis obligationem: ergo, si lex non acceptetur, non obligat; & consequenter non peccat, qui illam non acceptat; quia nondum purificata est conditio, sub qua Legislator intendit obligare; & Princeps intendit solum obligare cum conditione, si lex acceptetur, nisi aliter expresserit; vel, vt dixi, si contrarium ex coniecturis sufficienter non constaret. Ergo, &c. Et ita in terminis docet Megala in 2. 2. lib. 2. q. 6. q. 3. num. 115. & 117.

publicæ inde proueniat. Et ratio est: quia acceptatio est conditio requisita ad legis obligationem: ergo, si lex non acceptetur, non obligat; & consequenter non peccat, qui illam non acceptat; quia nondum purificata est conditio, sub qua Legislator intendit obligare; & Princeps intendit solum obligare cum conditione, si lex acceptetur, nisi aliter expresserit; vel, vt dixi, si contrarium ex coniecturis sufficienter non constaret. Ergo, &c. Et ita in terminis docet Megala in 2. 2. lib. 2. q. 6. q. 3. num. 115. & 117.

4. Vnde non admitto sententiam Patris Suar. de legibus, libro 13. cap. 19. num. 8. & aliorum asserentium, Legislatorem obligare independenter ab acceptatione populi, nisi aliter exprimat, aut aliter morali certitudine colligatur de ipsius mente: hoc, inquam, non admitto cum Martino Bonacina *loc. cit. n. 29.* quia hoc, vt supra diximus, non videtur conforme benignæ Legislatorum voluntati, ne nimis suis subditis onerosi videantur: & idè leges humanæ, vt notant Doctores superiores citati, & in specie Filliucius *to. 2. tr. 2. cap. vt. n. 429.* feruntur cum ea tacita conditione, si populus recipiat, Ergo, &c. His tamen non obstantibus, post hæc scripta, & edita, puto non esse recedendum à communi sententia asserente, peccare subditos, si sine causa non recipiunt legem legitime promulgatam.

Sup. content. in hoc §. sup. late in Ref. 55. & in aliis eius primæ not.

RESOL. LIX.

An qui in principio non acceptant legem, peccent mortaliter? Et quid si in causa dubij non recipiunt illam? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 8.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Ioannes Vvigers in 1. 2. Diui Thomæ. quest. 96. art. 4. num. 99. Suarez de legibus, libro 3. cap. 19. num. 10. Merolla tom. 2. disput. 4. cap. 3. dub. 20. num. 196. Granado in 1. 2. contr. 7. tract. 3. part. 1. disp. 7. num. 6. & 7. Malderus in 1. 2. q. 90. art. 3. dub. 2. dico 4. Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 10. punct. 14. num. 11. Gordonus tom. 1. lib. 2. quest. 9. cap. 8. num. 30. Becanus in 1. 2. tract. 3. cap. 6. quest. 8. num. 5. & Villalobos in summ. tom. 1. tract. 2. difficult. 16. num. 5. vbi sic ait. [Los que al principio quebrantan la ley, y no la guardan sin causa razonable pecan, y no veo quien diga lo contrario, ni me parece que se pueda tener en ninguna manera, que seria esso quitar la autoridad al Legislador.] Sic ille.

2. Sed contrariam sententiam negatiuam ego tenui in 1. part. tract. 10. resol. 2. editionis Panormit. cum Megala & Bonacina, cui nunc addo insignem Theologum Complutensem Ludouicum Montefinum in 1. 2. to. 2. tract. de legibus, disp. 2. q. 80. n. 137. vbi sic asserit. Sed quæres, peccantne qui in principio legem non recipiunt, vel qui in casu dubij non recipiunt illam vt obligatoriam in conscientia? Respondetur non peccare, dummodo parati sint animo obedire, & recipere vt obligatoriam, si Legislator aliter tolerare noluerit, & dummodo ex tali non receptione non sequatur contemptus, aut vilipendium sanctionum, vel legum. Hæc Montefinus. Sed tu ne discedas à prima sententia affirmatiua, quam postea ego docui in editione Lugdunensi vbi supra.

Que hæc est Ref. antecess. dens.

RESOL. LXI.

An si lex fuerit acceptata à maiori parte, si aliquis illam fregerit, secluso scandalo, peccet mortaliter? Et quid è contrarij maior pars populi non seruet legem, an poterunt alij sine peccato mortali maiori parti conformari, & excusari? Ex p. 7. tr. 11. & Misc. 2. Ref. 23. Suppono